



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

28. Ex eminenti Principis &c. Jubileum Universale ad implorandam divinam  
opem pro Pace inter Principes Christianos & aliis præsentibus Catholicæ  
Ecclesiæ necessitatibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



ac Religionis vacabilis, comprehensis similiter emolumentis Montis Datarie hujusmodi; necnon quoad Sancti Pauli Religionis respectivè Montes ducatis duobus auri de Camera, computatis emolumentis prædicti Montis Datarie, seu aliàs soluta compositione arbitrio dicti Prodatarii nostri, & illius pro tempore Successorum, juxtà qualitatem locorum in singulo Monte existentium concedi, & resignari debeant. Mandantes propterea, ut si quis Computistiarum Officium, seu Officia sine titulo per organum Datarie expedito quocumque modo nunc detineat, supplicationem super illius, seu illorum concessione in Dataria nostra infra tres menses proximos, prævia prædicti Thesaurarii approbatione, omninò expedire teneatur, alioquin ab exercitio amotus, & Officia Computistiarum hujusmodi vacatè eo ipso censeantur. Decetentes præsentem nostrum Motum proprium, ac literas forsan desuper conficiendas, & in eis contenta ex quacumque causâ nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, retractari, vel annullari posse, sed semper valida, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, neque sub quibuscumque similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, vel Constitutiones Apostolicas, seu Cancellarie Apostolicæ regulas, etiam per Nos, & Successores nostros, etiam motu proprio, etiam consistorialiter. ac cum datæ præsentium expressâ mentione, & sub quibuscumque tenoribus, & formis; necnon cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore factis, & concessis, seu concedendis comprehendendi, sed semper ab illis excepta, necnon quoties illa revocari, seu limitari, vel suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum. & eum, in quo antea erant, statum & sub priori datâ restituta, reposita, & plenariè reintegrata, ac de novo concessa esse, & censeri, sique, & non aliàs per quoscumque Judices &c. etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata &c., judicari &c. debere; irritumque &c. decernere, non obstantibus per prædictos Prædecessores nostros in erectionibus supradictorum Montium alièr, seu in contrarium dispositis, ac regulâ nostrâ de jure quæsitò non tollendo. quatenus opus sit, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis. aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam motu proprio, aut consistorialiter concessis &c., quibus omnibus &c., eorum tenores &c., etiam si de illis &c., hac vice specialiter, & expressè motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunitis.

Fiat Motu proprio J. F.

Et quod erectionum Montium hujusmodi tenotes etiam veriores habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis; & de perpetuis erectione, institutione, cognitione, discussione, resolutione, approbatione, executione, voluntate, decreto, statuto, mandato, derogatione, aliisque præmissis, quæ hic pro sufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ac aliàs, prout supra, in literis latissimè extensè; Et cum decreto, quod sola præsentis nostri Motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra, regulâ quacumque contrariâ non obstante, seu, si videbitur, literas desuper, etiam per viam de Curia, quandoque expediri. Et cum alio decreto, quod

moderni Computista, qui deinde post acquiritum officium habuerunt alios Montes additos, non teneantur ad augmentum pretii pro additionibus hucusque factis; Illi verò, qui nullo modo pretium persolverunt, illud omninò solvere teneantur Datarie Apostolicæ ad rationem bononorum, seu bajoccorum duorum cum dimidio pro quolibet loco. Datum Romæ apud S. Petrum sexto Idus Aprilis Anno VI.

Fiat J. F.

J. Pro-Datarius.

*Die, mense, & Anno, quibus supra, supradictus Motus proprius affixus, & publicatus fuit in Acie Campi Floræ, ac Curia Innocentiana Montis Civatorii, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nicolaum Vajellum SS. D. N. Papæ Curf.*

Joseph Batialis Magister Curforum:

JUBILEUM UNIVERSALE.

XXVIII.

Ad implorandam divinam opem pro pace inter Principes Christianos, & aliis præsentibus Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus.

CLEMENS PAPA XI.

*Universis Christianis presentes literas inspectionis salutem, & Apostolicam benedictionem.*

EX eminenti Principis Apostolorum Sede, in quâ per ineffabilem Divinæ suæ bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, collocare Nos voluit Altissimus, terrarum Orbem universum, nostras videlicet curas, sollicitè circumspicientibus Nobis, miserior in dies, semperque luctuosior se offert Christianæ Reipublicæ facies. Cum gravissimo siquidem, ac verè lachrymabili totius penè Europæ incendio Christiani Principes inter se decertantes (quæ olim extrema minatus est Deus inimicis nostris, atque iis, qui insurgunt adversus Nos) diuturno nimium, & sanè acerbissimo bello se invicem depascunt, ac proprio sanguine, quasi musto, inebriantur. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur. Visitavit profectò Nos Dominus in gladio suo duro, & grandis, & forti, sicut impetus aquarum multatum inundantium, & emissarum super terram spatiosam. Ascendit fumus in irâ ejus, & ignis à facie ejus exarsit. Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. Sed nunquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Absit. Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in irâ misericordias suas; sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate, effundet in Nos divitius misericordiam suam, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis humili confessione agnoscamus, dignosque penitentia fructus faciamus. Adæmus itaque cum fiducia ad thronum gratiæ, ac ne exprobrari Nobis audiamus propheticum illud: quæsi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terrâ, ne dissiparem eam, & non inveni; & effudi super eos indignationem meam, obsecrationibus, jejuniiis, elemosynis, aliisque piis operibus Divinam iram, acceptabili hoc Dominici Adventus tempore, placare studeamus, Regique pacifico, qui proximè venturus est, ut pacem annuntiet hominibus bonæ voluntatis, in

*Exordium à continuatis Christianæ Reipublicæ calamitatibus ob acerbum inter Christianos Principes bellum.*

*Fideles hortatur, ut divinam indignationem placare contendat, & in divinam misericordiam fiduciam collocent.*

*Eique inherendo mandat, omnes Montium Computistiarum expediri per Datariam Personis à Thesaurario approbandis, soluta certa pecuniarum quantitate.*

*Clausula sublatâ cum decreto irritanti.*



novitate vitæ ambulantes humiliter occurramus. Suppliciter ab eo petamus, ut flagella, quibus nos corripit ad emendationem, clementer à nobis avertat, & qui castigat nos propter scelera nostra; ipse salvet nos propter misericordiam suam; potissimum verò eum deprecemur, quatenus septimo, quem nunc Divinâ favente clementiâ inimus, nostri Pontificatus anno faciat remissionem, ut verè sit Sabbatum terræ requietionis Domini, sublatisque dissidiis sedeat Christianus populus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulentâ. Hæc autem ut ferventiori spiritus ardore, majorique fructu peragantur, ex præfco Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ more cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit divina dignatio, aperire, & largâ manu erogare decrevimus.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illâ ligandi, atque solvendi potestate, quàm Nobis Dominus, sicut indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christianidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemnem processione, quàm feria quinta proximæ hebdomadæ, quæ erit secunda Adventus, à Capellâ publicâ Palatii nostri Apostolici in Vaticano ad Basilicam Principis Apostolorum una cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælati quoque, & Officialibus ejusdem Curie, universo Clero, & Populo, benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, ejusdem Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominicâ die immediatè sequenti, vel aliâ die intra eandem hebdomadam, reverenter sumplerint, ac pauperibus aliquam elemosinam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæc nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ, decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominicâ immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissimâ Communionem refecti fuerint, & pauperibus aliquam elemosinam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur, Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, super præscriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant.

Solemnem Processionem indicit à Capella Palatii Vaticanani ad Basilicam Principis Apostolorum.

Omnibus, qui eidem Processione interfuerint, vel Patriarchales Basilicas enunciatas visitaverint, & opera præscripta adimpleverint, plenissimam Indulgentiam in forma Jubilei elargitur.

Eandem Indulgentiam extendit ad alios quoscumque fideles extra Urbem degentes.

Necnon ad navigantes, & iter agentes.

§. 2. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, sæcularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi penitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

§. 3. Insuper omnibus, & singulis Christianidelibus utriusque sexus tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfata, quàm extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam sæcularem, quàm cœlestis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & aliis per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientie, & hac vice tantum abolvere, & liberare valeant; & insuper vota quacumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus penitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

§. 4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælati, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla morâ, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præfentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientie, neque etiam easdem præfentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Præfato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliis in sententiis, & censuris incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum Partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti refer-

Et Regulares utriusque sexus.

Licentiam tribuit eligendi Confessarium approbatum, cui facultatem concedit absolventi à censuris, & castibus reservatis, & commutare vota, religionis, & castitatis exceptis.

Ordinariis locorum præfatis Jubilei publicationem injungit.

Non intendit dispensare super irregularitate publicâ, vel occultâ, nec facultatem tribuere super ea dispensandi, multoque minus absolventi excommunicatos, suspensos, & interdictos palam denunciatos.

Amplissimè derogat omnibus contrariis.

vatur,



vatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, eniquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum premissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem presentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earundem presentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae, vel ostensa. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die secunda Decembris MDCCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

F. Oliverius.

*Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo septingentesimo sexto, Indictione XIV., die vero 3. Decembris Pontificatus SS. D. N. D. Clementis Divina Providentia Papae XI. anno sexto supradictae litterae Apostolicae affixae, & publicatae fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, & Liberiensis, Cancellariae Apostolicae, Montis Caelotii, Aeternae Campi Florae, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Sebastianum Vasellum SS. D. N. P. P. Cursorem.*

Joannes Graecus Cursorum Magister;

D E C L A R A T I O

Nullitas quamplurimum decretorum, ordinationum, mandatorum, edictorum, aliorumque gestorum in Ditione Ducis Sabaudiae, tam ultra, quam citra montes, libertati, immunitati, & jurisdictioni Ecclesiasticae, atque auctoritati Apostolicae praedictae, cum illorum damnatione, revocatione, & abolitione, ac insuper cum decreto quod ii, qui illa perpetrarunt, eaque de causa Ecclesiasticas censuras Sedi Apostolicae reservatas incurserunt, minime propterea liberi censeantur ab obligatione gesta hujusmodi etiam per seipsos revocandi, & abolendi, vel alias debitam eidem Sedi, & Ecclesiae satisfactionem realiter exhibendi, ad hoc, ut absolutionis beneficium obtinere valeant.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**A**lias cum ad fel. record. Innocentii Papae XII. Praedecessoris nostri aures pervenisset, plura

per Ministros Dilecti Filii Nobilis Viri Victorii Amedei Sabaudiae Ducis, & Pedemontii Principis, ejusque Magistratus Laicos, videlicet Delegates super conservatione, ac reunione registri, & ratificatione, contractuum nuncupatos, necnon Senatus Nicinensem, & Taurinensem gesta fuisse, & attentata Sedis Apostolicae auctoritati, & Ecclesiasticae jurisdictioni, libertati, atque immunitati nedum contraria, sed illarum laetiva, ac prorsus destructiva, necnon Generalibus Conciliis, & Sacris Canonibus, ac Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutionibus penitus adversantia: Inter alia vero eidem Innocentio Praedecessori innotuisset, quod prius, nempe die 18. Septembris 1697. praefati Delegati super conservatione, & reunione registri, & ratificatione contractuum, edictum typis mandatum publicaverant, in quo inter caetera §. 6. continebatur praecipuum Syndicis, Consiliariis, Secretariis; ac aliis regimini; & gubernio Civitatum, Terrarum, & locorum ditionis ejusdem Victorii Amedei Ducis pro tempore praepositis injunctum sub certis inibi expressis poenis, ne aliquod beneplacitum, vulgo: Placet: de cetero amplius concederent, ad hoc, ut quicumque clericalem statum assumeret, vel jam minoribus ordinibus initiatus ad sacros ordines promoveri posset, minusque super quantitate patrimoniorum sacrorum convenirent, nisi prius Officiale, Patrimoniale Generale nuncupatum, certiore facerent de instantiis, quas sibi, & a quibus pro dicto beneplacito, seu placet obtinendo fieri contingeret, transmissa eidem informatione tam qualitatibus, & capacitatis personarum, quam numeri Parochialium Ecclesiarum in Civitatibus, terris, & locis praedictis existentium, atque Ecclesiasticorum celebrantium, & ad sacros ordines promotorum nondum celebrantium, aliorumque Clericorum, qui in illis reperirentur, necnon numeri fratrum, & sororum, & quantitatis bonorum Instantium, prout etiam, an parentes haberent, & an bona per illos possessa obnoxia essent alicui hypothecae ad favorem Communitatum, seu Universitatum, civitatum, terrarum, & locorum hujusmodi, ad hoc, ut dictus Patrimonialis opportunam relationem ipsis Delegatis facere valeret, & ab ipsis decerneretur, quid expedire conveniret circa ejusdem Beneplaciti, seu Placet concessionem, ac Patrimoniorum constitutionem, juxta Ecclesiae indigentiam, & Concilii Tridentini dispositionem; Idem Innocentius Praedecessor Venerabili Fratri Archiepiscopo Taurinensi mandavit, ut congruam moderationem, seu declarationem praefati edicti in partibus Ecclesiasticae libertati, & jurisdictioni praedictis obtinere satageret; Quod sane spatio vigin-tisepsem mensium frustra fuit ab ipso omni studio tentatum, donec tandem die 17. mensis Decembris 1699. renovata fuit ejusdem edicti publicatio, addita declaratione, quod in edicto prius publicato fuerant demandatae praefatae diligentiae, ad hoc, ut Patrimonialis generalis, sup- plendo negligentiam Officialium Communitatum, & Universitatum, posset securius earum statum Superioribus Ecclesiasticis representare, ut pro eorum prudentia, atque iustitia, praedictis, quod illis ex nimis aucto Ecclesiasticorum numero re- sultasset, remedium afferre posset, ipsum coercendo ad limites necessitatis, atque utilitatis Ecclesiarum, necnon patrimoniorum excessum ad formam Concilii Tridentini supradicti reducendo; Quae tamen declaratione insufficienti comperta, postquam pro ea obtinenda, quae sufficiens fuisset, inutiliter trium mensium spatio renovatae fuerant instantiae, fuit tandem per Archiepiscopum praedictum die 20. Martii 1700. publicatum Edic-

torum, quae tempore sa- me. Innocentii XII. in praedictum Sanctae Sedis, ac libertatis Ecclesiasticae gesserunt Mi- nistri Ducis Sabaudiae.

Edictum die 18. Septem- bris 1697., quo cautum fuit, ne bene- placitum pro affumentibus statum cleri- calem, vel promovendis ad sacros ordines amplius con- cederetur, nisi certa forma serva- ta.

Renovatio ejusdem Edic- ti secuta die 17. Decem- bris 1699. cum insuffi- cienti decla- ratione.

Edictum Ar- chiepiscopi Taurinensis